



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro lumine gratiæ, perfectioneq[ue] diuinæ voluntatis, Precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

Pro clarificatione anime post exitum huius vite, Precatio.

O Amantissime Iesu Christe, Dei & hominum mediator, rogo te per ineffabile gaudium tuæ glorificationis, vt animam meam in hac vita purgare digneris ab omnibus maculis & tenebris peccatorum, vt ad illam securus perueniam claritatem, statim post exitum anime meæ de corpore, quam mihi incomparabili pretio nobilissimi sanguinis tui & pretiosissima morte tua comparasti, Amen.

Iesus Christus vt omnium membrorum suorum glorificationis inestimabilem claritatem accepit à Patre.

GLORIFICATIO VI.

A Vegloria, honor, laus, & felicitas Sanctorum Angelorum, & gaudium æternum omnium Sanctorum, Iesu Christe rex gloriæ: Laudo, benedico, adoro, magnifico, & glorifico te, pro illo singulari gaudio, quod habuisti, quando charitas inæstimabilis, quæ te in mundum de sinu Patris tui deposuit, & omnibus miserijs, poenis & infirmitatibus, absque peccato, te subiaceret fecit, nunc in gloriosa resurrectione tua, te & omnia membra tua, sicut in passione in tolerabili dolore repleuerat, incomparabili gaudio, honore & decore repleuit.

Pro lumine gratis, perfectione, diuina voluntatis, Precatio.

O Iesu amabilissime, per illud gaudium tuum rogo te, da mihi lumen gratiæ tuæ ad cognoscendum, & auxilium virtutis tuæ ad perficiendum in omnibus beneplacitum sanctissimæ voluntatis tuæ, vt sciam & feruentissime perficiam quicquid sit acceptum coram te omni tempore, ne vnquam negligam vel omittam, quod velis per me fieri, nec vnquam faciam, quod velis omitti, Amen.

Iesus Christus vt electorum animos misericordia repletos, sua resurrectione, crebris, apparitionibus, gaudio consolationeque, affecerit.

GLORIFICATIO VII.

A Ve conuiuium plenissimum, pax dulcissima, solamen & consolatio omnium pie merentium, Iesu dulcissime: te laudo, adoro, magnifico, glorifico & benedico tibi pro illo ineffabili gaudio, quo ipso gloriosissimæ tuæ resurrectionis die, tuos electos pro te vehementer consternatos, lætificasti, ipsis apparens multis vicibus, dulciterque salutans, & pacem afferens: item cum illis conuiuans, & in fide exhortans corroborasti, & exinde per quadraginta dies crebris apparitionibus te eis manifestans, per multa argumenta instruens, scripturasque edisserens in fide plenè eorum animos consumasti.

Pro sui plena abnegatione, perfecta, obedientia, ac pectoris pace, Precatio.

D Ulcissime Iesu, bone Domine, per tuas appariciones gaudiosas & colloquia suauissima, per gratissimam & iucundissimam moram quadraginta dierum, quam cum discipulis peregrasti, donec in fide fierent perfecti, inflamma quæso cor meum igne perfectæ charitatis, vt promptissima & hilari voluntate meipsum ex toto abnegem & relinquam, tuamque voluntatem in omnibus perfectissime adimpleam: vt tibi sic in corde meo delectabile conuiuium perfectissimæ obedientiæ exhibeam: & non solum credendo & confitendo, sed iuxta omne beneplacitum tuum viuendo, & tibi seruiendo, resurrectionis tuæ testis fiam, vti veram pacem pectoris in presenti, & æternitatis in futuro, te misericorditer dominante, impetrare valeam, Amen.